

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo epiphaniarum domini.

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

nem quotidianum largiri, ne deficiat in hac miseriarum valle. Verè enim pauper ubique jacet, Prov. 19. v. 4. sed Deus non est personarum acceptor, Act. 10. v. 25. *Sexto octavo contemplari dignetur civitatem nostram, eamque alis gratiæ suæ obumbrare, donec veniamus in eam civitatem, ubi abundantia gaudiorum, Psal. 16. v. ult. Se primo oculo intentus esse velit in domesticos fidei, qui persecutione urgentur, ut si exultatum abire cogantur, solatio suo eos reficere, & aliam mansionem ipsis procurare velit, juxta promissionem suam, Joh. 14. 2.*
Hoc ita votum meum est, hæc ardens

precatio! O pater omnium credentium exaudi me! O Christe, Servator mundi annue precationi meæ! O Spiritus sancte, afflictorum consolator! Verè omnia nostra tristitia in gaudia: Da nobis in hoc novo anno, nova corda, quæ te venerentur; novas aures, quæ te audiant; novas linguas, quæ te celebrent; novos oculos, qui te respiciant; novas manus, quæ egenis distribuunt, novos pedes, qui in mandatis tuis ambulent: Sic veritatem laudabimus, bonitatem prædicabimus, misericordiam celebrabimus, nunc & in secula.
Amen, Amen.

In die Festo Epiphaniæ Domini.

Evangelium, Matth. 2. v. 1. -- 12.

EXORDIUM.

CUM Ezechias Rex ad mortem periculosè ægrotasset, & Deus ad libitum ejus Solem decem lineis retrorsum reverti fecisset, ut ille hinc certior redderetur, quod reconvalescere, & ad quindecim annos vita ejus prorogari deberet: Rex Babylonis misit legatos suos ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, 2. Chron. 32. v. 31.

Nos omnes, Dilecti! per tristem Protoplastorum lapsum, in eam infirmitatem incideramus, ut à planta pedis usque ad verticem, non esset in nobis integrum quiddam, Esa. 1. v. 6. Verum ex indebita caritate & misericordiâ, æternus Dei filius, in medio se stitit, & tanquam Sol justitiæ, decem lineis retrocessit, dum ærumnosus hominis filius factus est, qui aliàs ab æterno

magnus Deus, Tit. 2. v. 13. quem cœli cœlorum capere non possunt, 1. Reg. 8. v. 17.

Id Ecclesia hoc tempore prædicat, quando ita canit:

Qui clauditur nullo ambitu,
Matris quiescit in sinu:
Factus puellus parvulus,
Qui cuncta servat maximus.
Inops salutat orbitam,
Ut largiatur gratiam,
In arce ditet ætheris,
Æquans beatis Angelis.
Hæc cuncta nobis præstitit,
Dilectio quod certa sit:
Latetur hinc Ecclesia,
Laudes canens in secula.

Dem

Den aller Welt Kreis nie beschloß/
 Der ligt in Marien Schoß/
 Erist ein Kindlein worden klein/
 Der alle Ding erhält allein.
 Er ist auff Erden kommen arm/
 Daß er unser sich erbarm/
 Und in dem Himmel machet reich/
 Und seinen lieben Engeln gleich.
 Das hat er alles uns gethan/
 Sein groß Lieb zu zeigen an/
 Des freu sich alle Christenheit/
 Und danck Ihm des in Ewigkeit.

Hoc tale miraculum, quale ab exordio mundi non factum est: ideo non modò angeli desiderant in illud prospicere, 1. Petr. I. v. 12. sed Magi quoq; ex Oriente Hierosolymam venerunt, quæsitum, quomodo natiuitas illa comparata esset, quid stella nova portenderet, quam aliàs, tanquam Astronomiæ peritissimi, nunquam conspexerant. Ubi est, ajunt, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus ejus stellam in Oriente: & venimus, adorare eum.

Nos rem ipsam accuratius expensuri ad ipsam Evangelii tractationem conferemus, meditaturi ex eodem:

I. Ἀρχαιοπολογίαν sive notitiam nostri.

II. Χριστογενεσίαν sive notitiam Christi.

J.J.

Exegesis.

DE Jesulo recens nato prædictum est, quod futurus sit, desiderium omnium gentium, Hagg. 2. v. 8.

Hoc eventus probavit in prælecto Evangelio, ubi Magi ex Oriente, stellâ excitati, Hierosolymam accesserunt, non modò Jesulum recens natum inquirentes: verum ubi illum Bethlehemi invenerunt, apertis thesauris suis, illi etiam offerentes aurum,

thus & myrrham, sicut in Historiâ ipsâ indicatur.

In notitia nostra hic instruemur, quando considerabimus:

I. *Stella ortum*, ubi est, inquit Magi, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

Qualis hæc stella fuerit, non convenit inter Autores.

Nonnulli *Angelum* fuisse censuerunt, quem Deus sub formâ stellæ Magis adjunxerit, ut illis viam monstraret Bethlehemû, ubi recens natus Rex Judæorum, quem querebant, inveniendus erat.

Alii *Spiritum sanctum* fuisse autumant, qui se ita Magis in forma stellæ manifestaverit, sicut postea ad Jordanem, cum Christus baptizaretur, in forma columbæ, & in festo Pentecostes lingvis igneis apparuit.

Cyrilostomus in hac stellâ *formosum puerulum*, cujus caput cruce insignitum fuerit, depictum fuisse autumat, qui ad eò coruscaverit, ut sine stupore spectari non potuerit.

Nos omnia hæc loco suo relinquentes, literæ inhæremus, ubi Evangelista perspicuè stellam fuisse enunciat, & quidem stellam ejus, intellige recens nati Jesuli, quæ incarnationem & nativitatem ejus gentilibus manifestare debuit, ut dudum ante Bileam prædixerat, Num. 24. v. 17.

Hæc Jacobi stella nemo alius est, quam Servator noster piensissimus Jesus Christus: ideoque Deus cœlestis pater nativitatem ejus per novam stellam significare voluit, quo & ethnici scirent, eum jam natum esse, qui est stellarum Dominus, numerans multitudinem stellarum, & omnibus ejus nomina vocans, Psal. 145. v. 6.

Ex

Ex ethnicis quidam in eâ opinione fuerunt, quemlibet hominem peculiarem suam Stellam habere, à qua fors ejus dependeat: sicut adhuc hodie Astronomi sive Astrologi quidam inveniuntur, qui ex positu Astrorum, hominis fata prælagire volunt.

Hic examines velim te, mi Christiane! utrum & ipse curiositate ejusmodi infatuatus, Astronomis, qui quotannis Prognosticis suis ultra limites excurrunt, fidem adhibueris?

Hâc in parte subindè peccatur. Quando verbi Præcones homines ad pœnitentiam vocant, & ex ore Domini dicunt, nî resipiscant, fore, ut destruat, ut eradicet, & disperdat Deus gentem & regnum, Jerem. 18. v. 7. tùm queri illi tenentur: Quis credit auditui nostro? Esa. 53. v. 1. sive cum Davide: Quis agnoscit iræ tuæ gravitatem? Psal. 90. v. 11. Sed Astrologis illis facillimè fides adhibetur, qui tamen fundamento adeò lubrico innituntur, ut Deus ipse illis illudat, Esa. 47. v. 13. Moses, qui historiam creationis consignavit, & inter alia quoque cœli & stellarum mentionem facit, non videtur ire in eorum opinionem, Gen. 1. v. 14. Insuper proprietates Dei est, futura præcire & prædicare, quod sibi homo arrogare non debet. Vide Esa. 41. v. 21. Esa. 44. v. 24.

Propterea veri Christiani magis Deum, quam astrare spicere debent, & cavere ne ab ejusmodi vanis Astrologis palpum sibi obtrudi sinant.

Arioli sanè in scripturâ in tenui pretio habentur, utpote quos Deus in populo suo esse noluit. Vir, sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos, Quin &

qui illis communicavit, simili pœnâ affectus fuit. Levit. 20. v. 6. 27.

II. *Magorum adventum.* Quamprimum enim illi in regione suâ novam Stellam conspexerunt, itineri se accinxerunt, & longum iter expedierunt, nempe ducenta & triginta milliaria, ut nonnulli volunt, donec venerunt Hierosolymam, ubi sedes Regum fuit, nec dubitant, quin ibi Messiam quoque inventuri sint. Verum enim verò nemo quicquam de eo novit, quin Herodes id audiens, turbatus est: & omnis Hierosolyma cum illo.

Quinam hi Magi fuerint, & quomodo ad cognitionem hanc venerint, de eo in Evangelio nihil memoratur, nisi quod novam Stellam viderint in Oriente, ex quâ, tanquam periti Astronomi, collegerunt, novi quid eandem portendere. Quia verò, postquam Hierosolymam accesserunt, dicunt: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente: & venimus adorare eum: hinc colligere facillè possumus, quod iisdem promissio de Messia quodammodo nota fuerit: siquidem eo tempore, cum Judæi in captivitatem Babylonicam abducerentur, in quâ septuaginta annos degebant, inter alios Prophetas & Daniel prodiit, qui hanc doctrinam non modo ore tenus tradidit, sed & in scriptis reliquit, ut non dubitandum, quin scripta ejus in Academia, quæ Susis fuit, asservata fuerint.

Huc accessit, quod Rex *Aegypti, Ptolomæus Philadelphus* sacra Biblia ex Hebræo in Græcum transferri curaverit, quò & Ethnici scripturam legere, & ex ea ad salutem se informare possent, quale exemplum in Camerario Reginae Candaces habemus, Act. 8. v. 26.

Mmm

Hac

Hæc & alia ejusmodi adjuvamento ipsis fuerunt, ut ex nova stella, novum Judæorum regem natum esse, colligere potuerint. Imprimis vero Spiritum Sanctum ipsos intrinseca revelatione, & illuminatione adjuvasse, verosimile est, alias vix fieri potuisset, ut ex solius stellæ aspectu ad hanc cognitionem pervenerint.

Hic te ipsum in examen voca, mi Christiane! utrum & ipse tanto studio, recens natum Judæorum Regem inquisiveris, & stellam verbi ejus sequutus fueris?

Inveniuntur, qui sumtuosas peregrinationes suscipiunt, cum in finem, ut regiones conspiciant, & varios populorum mores, & quod in civitatibus ratum est observent: quod quidem adeo culpabile non est: qui enim in terram alienarum gentium pertransivit, bona & mala in omnibus tentavit, Sir. 39. v. 5. Verum, præcipua cura nostra hæc esse debet, ut cum Magis ex Oriente Christum inquiramus, eundemq; in Bethlehem quæramus, h. e. in Ecclesia, ubi nobis stella verbi divini præluceat, & viam monstrat, cui insistere debemus, Psal. 73. v. 25, 26.

Nos natura sedebamus in tenebris & umbra mortis, Matth. 4. v. 16. & omnes quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, Esa. 53. 16. Sed ex Dei debito amore & misericordia nova stella nobis refulsit, quæ est verbum ejus salvificum, stella lucens, est enim lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, Psal. 119. 105. cui recte facimus attendentes, 2. Pet. 1. v. 19. stella ducens nos ad Christum, scripturæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de eo, Joh. 5. v. 39. stella docens, quomodo recte credere, pie vivere, patienter sustinere, & beati mori possimus. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, Mich. 6, 8.

Cum Magis igitur prælucente stella hæc quæramus Christum:

1. *Desideranter*. Magi longam migrationem fecerunt, nempe ducenta & triginta milliaria, nullisque sumptibus pepererunt, dum Jesulum recens natum invenerint.

Nos tanto itinere emetiendo opus non habemus, sed præ foribus in verbo & sacramentis, quibus se involvit, cum invenire possumus. Ideo lætemur cum Davide, in domum Domini ire, Ps. 122. v. 1. Exod. 20, 24.

2. *Constanter*. Magis Hierosolymam accedentibus, & recens natum Judæorum regem indagantibus, nemo quicquam de illo scivit. ut facile hinc offendiculum capere & ex proposito deturbari potuissent. Attamen recolligunt se, & ulterius pergunt, donec puerulum inveniunt. Pari modo nos in via fidei, devotionis & penitentia nos renovari patiamur, sed semper progrediamur, dum bravium apprehendamus, Phil. 3, 13. Qui enim perseveraverit usque ad finem, salvus erit, Matth. 10, 22.

3. *Exultanter*. Stella, quam Magi in Oriente viderant, aliquantisper ex oculis eorum se subduxit: tandem vero apparuit iis rursus, hinc gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum, cum Maria matre ejus; Ita & nos in Jesulo recens nato, delectationem nostram habeamus: Omnia enim nobis JESUS est:

Ni natus hic infantus,
Fuisset orbis perditus,
Est hæc salus cunctorum.

Wår uns das Kindein nicht gebohrn/
So wårn wir allzumal verlohryn

Das Heyl ist unfer aller.

III. *Herodis dolum.* Quamvis enim ille valde turbaretur per has novellas, quod novus Rex nascendus foret: attamen dolum suppressens, congregatis omnibus principibus Sacerdotum, & Scribis populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christum nasceretur: Et certior hac de re factus, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Tandem mittens illos in Bethlehém, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: cum inveneritis, annunciate mihi: ut ego veniens, adorem eum.

Hac in parte Herodes imago est omnium hypocritarum, de quibus Regius Pfalteres ait: Blandiores sunt ore suo, quam butyrum, Psal. 55. v. 22.

Hic reipsum inspice, annon & ipse præstigiis ejusmodi usus, exterius sanctitatem prætulit, interius vero in corde, Christum ejusq; membra odio habueris & persecutus fueris?

Herodes Magis verbis ostendebat, se adoratum esse Jesulum recens natum: at in corde gladium jam acuerat, & perimere illum cogitabat. O quot adhuc hodie inveniuntur illorum, tam in statu ecclesiastico, quam Politico, qui vestigiis Herodis insistentes, flos Christianorum videri volunt, interea tamen varias technas machinantur, adversus Christum, ejusque membra, & inique agendo sese fatigant, Jer. 9. 5. Eo quoq; Christus collineat, clamans: Væ vobis Scribæ, & Pharisei &c. Matth. 23. v. 27. & seqq.

Ejusmodi hypocritis non modo in Papatu inter Religiosos invaluit, qui exterius miram sanctitatem ostentant, cum tamen sint & maneat inimici crucis Christi: Sed & inter

Magnates Politicos occurrunt, quæ magnam devotionem promittunt, quasi Christum adorare velint: sed sub hoc prætextu, ferrum acuunt, & ubi Christianum è medio tollere possunt, putant se gratum Deo præstare cultum, Joh. 16. 2.

Hoc Dei justum judicium est, qui ejusmodi homines fascinat, ut credant mendacio, qui ante veritati non crediderunt, 2. Thess. 2. 11. & malum manuum suarum dicant bonum, Mich. 7. 3. perinde sicut Judæi noluerunt prætorium ingredi, ne polluerentur, sed agnum paschalem comedere possent: quibus tamen nulla religio fuit, innocentem Servatorem trucidare. Hinc Theophylactus: *O amentiam! occidentes hominem nefarie non arbitrantur se pollui, in prætorium vero intrantes, pollutionem metuntur.*

Veri Christiani cane & angue pejus hypocritis fugiant. *Quid prodest meretrici, si nomen habet castum? Ita nihil prodest peccatori, si servus Dei dicatur?* ait Chrysostramus.

Quid prodest Bileamo, quod Propheta fuerit, Num. 24. v. 1. Quid Sauli, quod cum Prophetis Domini prophetavit? 1. Sam. 10. v. 11. Quid Judam juvat, quod Apostolus, & discipulus Christi fuerit? Joh. 18. v. 2. Ita hypocritas parum juvabit quod exterius ut angeli lucis appareant, qui tamen interius multo deformiores sunt diabolo, probat enim Dominus cor nostrum & examinat, Psal. 17. v. 3. Die novissimo hypocritas ejusmodi manifestos faciet, separaturus oves ab hædis, Matth. 25. v. 31. ut videre possimus, quid sit inter justum & impium, Mal. 3. v. ult.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad alteram partem, *Xp̄i 15. 07. v. 01. 27. sive notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi.* Hic nobis commendatur.

I. *Tanquam gentium illuminator.* Ante enim non erant ex hoc ovili, Joh. 10. v. 16. sed alienati à Republicâ Israël, & hospites testamentorum promissionis, Eph. 2. v. 12. sed ex indebitâ gratiâ & misericordiâ Deus in Sion electum & pretiosum lapidem angularem posuit, 1. Petr. 2. v. 6. qui medium parietem macerie solvens, ex Judæis & ethnicis unum fecit, Eph. 2. v. 14. Hic recens natus Rex Judæorum est, qui propterea duobus insignitus est nominibus, & vocatur Hebraicè Iesus, h. e. Salvator, ut indicetur, esse Salvatorem Judæorum, ex quibus natus est quoad carnem, Rom. 1. v. 3. Græcè verò *χρ̄ιστ̄ος*, h. e. unctus, ut ostendatur, esse quoque eundem Servatorem Græcorum sive ethnicorum. Parum est, ait Deus, ut sis mihi servus, ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël convertendas, Esa. 49. v. 6.

• Cape hinc solatium, mi Christiane! Nisi gratiosa hac stella orta fuisset, in tenebris & umbrâ mortis mansisses, quin & in peccatis periisses. Verum Servator tuus à potestate tenebrarum te redemit, & idoneum fecit in partem fortis sanctorum in lumine, Col. 1. v. 12. ut jam sis civis sanctorum, & domesticus Dei, Eph. 2. v. 19. pertinens ad genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, 1. Petr. 2. v. 9.

Quod si igitur peccata tua te conturbant, quid turbaberis? Christus propter peccatores in mundum venit, 1. Tim. 1. v. 15.

Quod si angustiis immersus es: constat tibi, Christum te ad regnum suum vocasse, ut quidem communicare passionibus ejus debeas: sed & in revelatione gloriæ ejus gaudio exultes, 1. Petr. 4. v. 13.

Quod si vita cum morte tibi commutanda: hæc stella prælucere tibi potest per tenebrosam mortis vallem, in cælestem patriam. Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur, Rom. 14. v. 7.

Sed & opera danda est, ut *dignè vivamus vocatione nostrâ:* Satis est enim nobis, quòd antea cto vitæ tempore, voluntatem gentium patraverimus, 1. Petr. 4. v. 2.

In janua Academiæ Atheniensis olim hæc inscriptio extitit: *Arbor es, ô homo, si sylvestris time, si campestris fuge, si hortensis gaude!* quo ipso Præceptores discipulos suos instruere voluerunt, ut moribus rusticanis valedicentes, virutem & bonas artes imbiberent, & earum fructus in vita ostenderent.

Nos antehac in Genilissimo itidem arbor sylvestris fuimus, sed Dei gratiâ, in bonam olivam Christum Jesum inserti sumus, Rom. 11. v. 24. ideo officii nostri erit, meliores & utiliores fructus ferre, quàm antea tulimus, aliàs Dominus, quando die novissimo quæret, nec inveniet, maledictione nos perdet, ut ficum illam, Matt. 21. v. 19.

Ah, quomodo illi aliquando consistent, qui jam in ethnicis peccatis se volutare pergunt, postquam eos Christus vocavit de tenebris in admirabile lumen suum, 1. Petr. 2. v. 9. Sanè indigni sunt Christianorum nomine, & pœnæ eorum aliquando eò gravior erit, Luc. 12. v. 4-7.

II. *Tanquam promissus Salvator.* Etsi n. ille ipse, quem Deus Judæis mittendum pro-

promiferat, imprimis, quando apud Jeremiam dixit: Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & fufcitabo David germen iustum. Jer. 23. v. 5. 6. Hic Rex ex Bethlehemi undus erat, ut Michæ aliquot ante fecula prædixerat, Mich. 5. 2.

Hoc ita impletum est in præfeto Evangelio: Ubi princeps Sacerdotum, & Scribæ populi, ab Herode confulti, ubi Christus nafceretur, dixerunt ei: In Bethlehem Judææ. Ibidem quoque magi eum inventum, muneribus fuis honoraverunt.

Non vero arbitremur, quod propter Judæos tantum hoc nomen gerat, quia è genere eorum ortus est: fed & fpiritualium Ifraelitarum Rex & Salvator est. Non enim qui in manifesto Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcifio: fed qui in abfcondito Judæus est, Rom. 2. v. 28.

Hoc non sine folatio est.

In hoc mundo, multæ tribulationes iuftorum, Pfal. 34. 20. Quilibet dicit: pone in terram corpus tuum, & in plateas tranfeuntibus, Efa. 51. v. ult. Grex enim puillus fumus, Luc. 12. v. 32. quibus identidem exprobratur: Ubi Deus est tuus? Pfal. 42. 4. Sed eftote bono animo, Dilecti! Vita noftra abfcondita est, cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita noftra, tunc & nos apparebimus cum ipfo in gloria, Col. 3. v. 34. & Regem videbimus in decore fuo, cum admiratione cordis noftri, Efa. 33. 17.

Interea *venemur ipfum*, cum Paulo dicentes: Regi feculorum immortalis, invifibili, foli fapienti Deo, honor & gloria, in fecula feculorum, Amen, 1. Tim. 1. 17.

Diligamus eum. Si quis enim non amat Dominum Jefum noftrum, fit, anathema Mubarem-atha, 1. Cor. 16. 22.

Vereamur eundem. Timor enim Domini expellit peccatum, Sir. 1. v. 26. 27.

Imprimis vero elegans hoc Epitheton, quod Jefulo applicatur, dum *Rex recens natus* dicitur, in nobis *novam obedientiam excitare debet*, ut ex reverentia erga eum, in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 5. & novum hominem induamus, qui fecundum Deum creatus est, in iuftitia & fanctitate, Eph. 4. v. 24. fimul quoque mandatum novum observantes, diligamus nos invicem, ficut ille nos dilexit, Joh. 13. v. 34. Sic miferationes ejus erunt diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. & in cœlefti Hierufalem omnia faciet nova, Apoc. 21. 5. ut non amplius ploremus aut lamentemur, ut in hoc mundo, Joh. 16. v. 20. Sed cum viginti quatuor feniorebus canticum novum cantemus, Apoc. 5. v. 8. quæ vox erit exultationis & falutis in tabernaculis iuftorum, Pfal. 118. v. 15. Abfcripta est mors in victoriam, 1. Cor. 15. v. 55. 57.

III. *Tanquam fomniaorum dictator*. Hic audimus, quod magis in fomis mandaverit, ne redirent ad Herodem, quod & fecerunt. Per aliam namque viam reverfi funt in regionem fuam.

Somniaorum tria potiffimum funt genera.

1. *Somnia naturalia*, quæ à caulis naturalibus originem habent, quicquid enim interdiu meditaris, loqueris vel facis, id plerumque noctu fele viciffim offert, idque juxta complexionem hominis. Alia fomnia enim melancholicis, alia Cholericis, alia Phlegmaticis, & alia Sanguinolentis fele offerunt. Ejusmodi fomnia non multum tribuendum est, Sir. 34. 1. 2.

2. *Somnia diabolica*, per quæ homines feducit, aut ad idololatriam, aut ad alia nefaria peccata & flagitia. Sacerdotes gentilium exuviis mactatorum animalium fele invol-

ventes corâ altari prostrati jacuerunt. Inter Judæos quoque Pseudoprophetæ erant qui somnia sua, pro verbo Dei venditarunt, de quibus conqueritur Jeremias, c. 23, 25. similiter & Judas Apostolus in somniis de Iulorum mentionem facit, v. 8. Quo Thomas Muntzerus referendus est, qui iisdem non parum tribuit, teste Sleidano.

Verum per hujusmodi somnia non modo falsa doctrina introducit, & confirmatur: sed & id diabolus iisdem sæpe efficit, ut peccatum originale victoriam obtineat adversus hominem interiorem, quod sine hoc medio efficere non potuisset, ut si quis in somnis blasphemet, maledicat, occidat, scortetur, & alia nefanda agat, quæ non sine peccato sunt, si cum consensu & delectatione fiant. Corpus enim modo dormit, anima vero semper vigilat, & mediante phantasia piis quoque ejusmodi somnia conciliat, respectu quorum causam habent, à Deo remissionem peccatorum petendi, Psal. 32, v. 6.

3. *Somnia divina*, quæ olim familiaria valde fuerunt, utpote per quæ Deus Patriarchis & Prophetis se multifariam manifestavit, Gen. 25, v. 12. c. 38, 12. Exod. 33, 11. Num. 12, 6. Et huc quoque referendum est, quod Evāgelista de Magis in oriente dicit, quod accepto responso in somnis à Deo instructi sunt, ne redirent ad Herodem: sed per aliam viam reverterentur in regionem suam.

Hodie hujusmodi somniis non amplius fidendum est, præsertim si illud quod significant, manifeste Deo verbo adversetur. Postquam enim Deus in V. T. multifariam, mul-

tisque modis per somnia quoque & visiones se manifestavit, in diebus his novissimis, locutus est nobis in filio, Heb. 1, 1. In hoc unice acquiescere debemus, quem videlicet nobis cœlestis Pater apprime commendat, Matth. 3, v. ult. c. 17, 5.

Hinc B. Lutherus in Comm. super Genesin, se pactum cum Deo iniisse scribit, ne per visiones, somnia aut Angelos secum agat: sed omnino se in sacra scriptura acquiescere, utpote ex qua sufficienter, ad hanc, & futuram vitam instruat.

Sic nos totos ad legem & testimonium componamus, Esa. 8, 19. quod si enim cum sapientia dormitum eamus, non pavebimus à repentino terrore, & à devastatione impiorum, Prov. 3, 24. sin autem quandoque somniis Melancholicis infestemur, exemplo Abrahæ solari nos poterimus, quem similiter horror magnus & tenebrosus invasit, Gen. 15, 12. *Eventus Deo commendandus est*, cujus dextræ mutatio, Psal. 77, 11. Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8, 28. Tempore suo Dominus in sepulchrum, tanquam dormitorium nostrum nos cubitum deducet, ubi nullis amplius somniis inquietabimur, sed requiescemus ab omnibus laboribus nostris, Apoc. 14, 13. Die vero novissimo, quando tuba Archangeli resonabit, læti revigilabimus ad cœleste gaudium, 1. Cor. 2, 9. Tunc erimus quasi somniantes, quorum os replebitur risu, & lingua exultatione, Pl. 126, 1. 2. Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.